

verba complectens, contra legis nititur voluntatem:—hoc est, qui legem secundum litteram observat, sed contra voluntatem legislatoris: v. g. prætor in albo posuit interdictum et pœnam, ne quis album corrumpere aut deleret: Titius agglutinando chartam, ne scriptura legi possit, verba quidem observat, sed contra mentem prætoris (*l. 7. ff. de jurisd.*) Sic usurarius, non in pecunia, sed in mercibus, vestibus aut obsequiis usuras percipiens, agit contra mentem legis (*c. 3. ple-rigue 14. q. 3.*): sic etiam Episcopus, et parochus, quibus præcipitur residentia, contra mentem Sacri. Canonum ageret, si corpore domi residerent, et officium suum non administrarent.

In hac regula finitur jus Can. Quia verò quædam regulæ ex jure civili frequenter sunt in usu, eas hic compendio transcribam.

Regulæ usitatiores ex digestis.

278. Reg. 1. «Fæminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ sunt;»—*exceptis illustribus, ut reginis.*

2. Impubes omnibus officiis civilibus debent abstinere.

3. «Ejus est non nolle, qui potest velle:»—hoc est, qui habet liberam facultatem positivè volendi, v. g. ut filius scholam frequentet, etiam habet liberam facultatem id permittendi seu tacitè approbandi; nam *non nolle* is dicitur, qui sciens patitur, et tacitè approbat: *velle* verò is dicitur, qui expressim jubet, seu expressè approbat; Gothofr. Alii legunt: *ejus est nolle, seu non velle, cujus est velle*; hoc est, ille habet liberam facultatem omittendi, qui habet liberam facultatem agendi.

4. «Velle non creditur, qui obsequitur imperio patris vel domini,»—*exceptis maleficiis.*

7. «Paganus, seu non miles, non potest partim testatus, partim intestatus decedere.»

8. «Jura sanguinis nullo jure civ. dividi possunt:»—puta quoad honestatem in matrimoniis, reverentiam et pietatem: at quoad qualitates civiles mutari possunt; ut si quis ex nobili fiat ignobilis.

11. «Id, quod nostrum est, sine facto nostro ad aliam transferri non potest:»—sufficit ficta traditio; imò vi domini alti, vel in pœnam delicti res nostræ in alium transferri possunt.

12. «In testamentis pleniùs voluntates testantium interpretamur:»—quia ultimæ voluntates sunt favorabiles.

14. «In omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentis die debetur:»—hoc est: statim à tempore contractus: civiliter tamen intra competens intervallum, ne creditor eodem momento cum sacco venit pro pecunia.

15. «Is, qui actionem habet ad rem recuperandam, ipsam rem habere videtur;»—sed contra: «minùs est actionem habere, quàm rem (reg. 204)»

19. «Qui cum alio contrahit, vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus.»—Hinc imputet sibi, qui contrahit cum pupillo, minore, religioso, si ex contractu nihil recipiat.

22. «In personam servilem nulla cadit obligatio.»—Valet pro religiosis in præjudicium monasterii, quia velle non habent.

24. «Quatenùs cujus intersit, seu interesse in facto, non in jure consistit:»—adeòque probari debet.

25. «Plus cautionis in re est, quàm in persona.»

26. «Qui potest invitis alienare, multò magis et ignorantibus, et absentibus potest.»—Valet in libera facultate agendi.

32. «Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur, non tamen et jure naturali:» et servitutem mortalitati ferè comparamus (reg. 209.);—quia servi ob maximam capitis diminutionem, seu amissam libertatem civiliter mortui sunt. Idem et religiosis applicatur, si monasterio expediat. Contrà: «Libertas inæstimabilis res est (reg. 116), et libertas omnibus rebus favorabilior est (reg. 122.)»

34. «Semper in contractibus id sequimur, quod actum vel quod in regione receptum est, vel minimum.»

40. «Furiosi, vel ejus, cui bonis interdictum sit, nulla voluntas est.»—Hic furiosus et juridicè prodigus æquiparantur, neuterque cum effectu contrahere potest.

43. «Quoties concurrunt plures actiones ejusdem rei nomine, una quis experiri debet.»—Sed contrà: «Nunquam actiones, præsertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam consumit (reg. 130.)»—Intellige: si actiones prorsus in idem tendunt, una quis experiri debet; sed si in altera sit excessus, potest et altera intentari, non quoad totum, sed quoad excessum, ut illud plus obtineatur, quod per priorem actionem non est obtentum.

45. «Privatorum conventio juri publico non derogat:»—ex l. 38. ff. de pact.: jus publicum privatorum pactis mutari non potest; sed præter jus commune pactum seu lex adjici potest contractui, ut suprâ reg. 85. in 6.

47. «Socii mei socius, meus socius non est:»—ut si Titius aliam societatem ineat mecum, quam iniverit cum Cajo.

48. «Quidquid in calore iracundiæ vel fit, vel dicitur, non priùs ratum est, quàm si perseverantia apparuit judicium animi fuisse.»—Hæc regula non procedit in delictis momentaneis, quæ statim mala sunt, sed refertur ad eventum futurum, qui ex aliquo facto non potest plenè conjici, ut patet ab exemplo ibi adjecto: *ideoque brevi reversa uxor, nec divertisse videtur.*

49. «Alterius circumventio alii non præbet actionem;»—nisi alius per hoc læderetur.

53. «Cujus per errorem dati repetitio est, ejus consulto dati donatio est:»—Si solvisti cogitans te debere, solutum condicere seu repetere potes conditione indebiti: si verò solvisti sciens te non debere, censis donasse.

55. «Nullus videtur dolo facere, qui suo jure utitur.»
64. «Ea, quæ rarè accidunt, non temerè in agendis negotiis computantur;»—nam rara non sunt sub lege.
69. «Invito beneficium non datur.»—Si tamen beneficium alterius personam vel publicum bonum concernat, dari potest invito. Sic pro debitore invito rectè solvitur (*pr. Inst. quib. mod. tollitur oblig.*), et clerico etiam invito datur privilegium fori (*cap. 12. de for. compet.*)
73. «Quo tutela rediit, eo hæreditas pervenit, nisi cum feminae hæredes intercedunt:»—quia ubi onus, ibi commodum.
82. «Donari videtur, quod nullo jure cogente conceditur.»
84. «Is natura debet, quem jure gentium, seu naturali, dare oportet, cujus fidem secuti sumus.»
90. «In omnibus quidem, maximè tamen in jure, æquitas spectanda est;»—si tamen jus rigorosum sit clarum, non licet prætori ab eo recedere (*l. 22. §. 1. ff. qui, et à quib. manumiss.*)
94. «Non solent, quæ abundant, vitiare scripturam;»—quia cautela abundans non nocet.
103. «Nemo de domo sua extrahi debet.»
108. «Ferè in omnibus pœnalibus judiciis, et ætati, et imprudentiæ succurritur.»
110. «Pupillus pati posse non intelligitur:»—quia nec contractu à se, nec à tutore invito lædi debet.
115. «Si quis obligatione liberatus sit, potest videri cepisse, seu aliquid accepisse.»
116. «Nihil consensui tam contrarium est, quàm vis atque metus:» et §. 2.: «non videntur, qui errant, consentire.»—Vis absoluta seu coactiva plenè impedit consensum, uti et error aut dolus substantialis: at vis compulsiva, seu metus et error accidentalis, regulariter relinquunt actum mero jure validum, utpotè simpliciter voluntarium, licet rescindibilem actione *metus* aut doli.
119. «Non alienat, qui dumtaxat omittit possessionem.»
121. «Qui non facit, quod facere debet, videtur facere adversus ea, quia non facit. Et qui facit, quod facere non debet, non videtur facere quod facere jussus est.»—Proditur hic duplex fictio, quia id, non faciens, fingitur facere, et faciens, fingitur non facere.
126. «Nemo prædo est, qui pretium numeravit.»
129. «Nihil dolo creditor facit, qui suum recipit:»—valet etiam in compensatione occulta servatis servandis.
132. «Imperitia culpa adnumeratur.»
133. «Melior conditio nostra per servos fieri potest: deterior fieri non potest.»—Fallit in delictis et damnis per servos datis, ubi dominus tenetur vel damnum reparare, vel servum noxæ dare (*lit. Inst. de noxal. action. et reg. 149. ff.*)
134. «Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest.»
136. «Bona fides tantumdem possidenti præstat, quantum veritas,

- quoties lex impedimento non est:»—si lex impedit, est mala fides juridica seu civilis, quæ impedit usucapionem.
137. «Qui auctore judice comparavit, bonæ fidei possessor est.»
139. «Omnes actiones, quæ morte aut tempore pereunt, semel inclusæ judicio salvæ permanent;»—nam in judicio quasi contrahitur; contractus autem transeunt ad hæredes.
141. «Uni duo pro solido hæredes esse non possunt.»
144. «Non omne, quod licet seu promittitur honestum est.»
149. «Ex qua persona quis lucrum capit, ejus factum præstare debet.»
155. «Factum cuique suum, non adversario nocere debet.»
156. «Invitus nemo rem cogitur defendere.»
160. «Aliud est vendere, aliud venditioni consentire:»—refertur ad universos, quod publicè fit per majorem partem.
174. «Quod quis, si velit, habere non potest, id repudiare non potest.»
176. «Non est singulis concedendum, quod per magistratum publicè possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi:»—non facienda per judicem, fieri nequeunt per privatos.
183. «Si nihil facilè mutandum est ex solemnibus, tamen ubi æquitas evidens poscit, subveniendum est.»—Valet quoad solemnitates accidentales; rarè quoad substantiales.
184. «Vani timoris justa excusatio non est.»
188. «Quæ jure naturali prohibentur, nulla lege confirmata sunt:»—multa tamen permittuntur per leges, et aliqua à præceptis naturalibus subducuntur, ut in usucapionibus etc.
190. «Quod evincitur, in bonis non est.»
195. «Expressa nocent, non expressa non nocent.»—Exemplum est in reg. 77. ff., ubi actus legitimi vitiantur per conditionem expressam, non verò tacitam. Unde sæpius *major est vis expressi, quàm taciti* per hanc reg.; et rursùm: *eadem est vis taciti, ac expressi*, et expressio taciti nihil novi operatur (*l. 3. ff. de R. C. et l. 99. ff. de condition. et demonstr.*) Interdum *major est vis taciti, quàm expressi*: sic enim clericus sine auctoritate Superioris tacitè renunciare potest beneficio; v. g. assumendo statum conjugalem vel religiosum; non tamen expressè, ut dictum *tit. de renunt.*
202. «Omnis definitio in jure periculosa est: parum est enim, ut non subverti possit:»—hoc est, omnis locutio universalis in jure, non in sensu absoluto, sed accommodo, prout materia patitur, intelligenda est: alioquin, cum casus particulares sint diversissimi, facilè regula generalis falsificatur, vel potiùs non extenditur ad illum casum.
207. «Res judicata pro veritate accipitur:»—putà in foro externo, nisi sententia notoriè esset injusta; quia tunc cessaret præsumptio justitiæ pro judice: at in foro interno præsumptio cedit veritati.

Hoc jus Canonicum doctrinali methodo concinnatum humillimè subjicio infallibili sanctæ Sedis Apostolicæ judicio et Sapientum correctioni, paratus emendare, quidquid perperam à me dictum fuerit: et cum hac protestatione exiguum laborem istum ad Deum, ut finem ultimum, Sanctorumque Cælitum honorem relatam volo.

SUMMARIA

CAPITULORUM IN DECRETALIUM QUARTO ET QUINTO

LIBRO CONTENTORUM,

UTILIBUS NOTIS INSPERSA.

Ex quibus non modo quam plurium Decretalium conciliationes, sed etiam earumdem correctiones et respectivæ ampliaciones, tum a posterioribus Decretalibus, tum a sacro Concilio Tridentino et Apostolicis Constitutionibus factæ, sub signo innotescunt.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.—DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS.

Cap. 1. *De Francia.*—Matrimonium consensu contrahitur, nec invalidatur, si consuetudo patriæ non servetur.— Vide correctionem Elencho II. n. 134. "

2. *Præterea.*—Sponsalia de futuro etiam jurata dissolvuntur, si sponsi se dissolvunt.

3. *Juveni.*—Si major septennio duxit in uxorem minorem septennio, et eam traduxit ad domum, oritur ex tali contractu publicæ honestatis justitia.

4. *Ad audientiam.*—Ex sponsalibus contractis cum consanguinea oritur publicæ honestatis justitia.— Vide moderationem Elencho II. n. 135. "

5. *De illis.*—Si sponsus de futuro ante copulam ad remota se transfert, sponsa liberè cum alio contrahit: si tamen per eam stetit, quominus matrimonium perficeretur, illi pœnitentia imponitur.

6. *De muliere.*—Non omnis violentia impedit contractum matrimonii.

1 Ex Conc. Tribur.
2 Al. III. Exon. Ep.
3 Eug. III. Presb. AEsculap.

4 Alex. III. Elect. Papien.
5 Idem Panor. Arch.
6 Idem Bhoar. Padoan. Ep.